230.

Reverendissimo Domino DAVIDI PAREO, primario S. theologiae Doctori ac Professori in inclyta Heidelbergensium Academia, ac pro tempore Magnifico Rectori, Domino ac Patri in Christo perpetuum colendo.

Reverendissime Domine Pater in Christo admodum honorande, salutem ac officii mei paratissimam commendationem. Accepi Tuas, venerande Pater ~~in Christo admodum honorande~~ secunda Augusti humanitatis et benevolentiae plenas, quas quanta legerim jucunditate, non facilè dixerim, praesertim cum in frontispicio statim incredibilem meam erga filiolum meum Stephanum Sopsir, ex intimis cordis mei penetralibus veluti καρδιογνώστης aliquis depromseris, mihiq; invisibilem affectum quasi in typo visibilem exhibueris, rem acu utiq;, ut ajunt, tangens. Fateor enim non mediocriter me affectum, dum charissimus meus et quidem adhuc tenellus in his praesertim disturbiorum procellis longissimam hanc susciperet peregrinationem. Interim tamen cum in principio tanti ausus satis benignam expertus sim divinam providentiam, eò quod salvus is cum suis ad vos appulerit, maximè quod à vestra quoq; Paternitate tam humaniter atq; benignè sit exceptus, tantiq; habitus est, utiq; quo hunc meum compescam affectum. Magnas igitur duplici nomine Venerandae vestrae Paternitati debeo gratias, tum quod me à corculo meo tanta locorum intercapedine dissitum placidissimè hisce suis recrearit, ac in hac sollicitudine meâ plus quam paternâ refecerit; tum quod ea animi promtitudine, quam ne sperare quidem, tantum abest, ut expetere fuerim ausus, operam suam meo, nil tale quid merito, se locaturam pollicita sit. Imò jam certis declaravit monumentis, successibus ejus litterariis quantopere faveat. Utinam ea nobis aliquando affulgeat occasio, qua debitam erga vos gratitudinem declarare dignè possimus. Allaborabimus tamen, omnem moturi lapidem

lapidem, ut gratiam pro gratia rependam, probemque
vobis non ingrato praestitum esse, quicquid officii et bene-
ficii in hunc à vobis fuerit collatum. Quod superest,
Venerabilem vestram paternitatem cum suis feliciter
valere, diuque ad gloriam Dei, usumque Ecclesiae ejus sa-
lutares supervivere animitus discupio. Datum Albae
Juliae die 22. mensis Augusti Anno Domini 1619.

Reverendissimae Dominationis
vestrae
Fautor paratissimus
Stephanus Bethlen
de Iktar.

D. Philippo Geigero 231.
Theologo Apocalyptico.
Salutem!

Notas tuas Apocalypticas, Reverende Domine Geigere, libenter accepi,
et quarundam potui percurrere: excutere singulas prohibebatur per occupa-
tiones: et perturbato hic rerum statu, jucundas tuas de millenario regno
post eversum Papatum speculationes, haud videtur postulare, sed potius hoc
[illegible] anno, quo Antichristianos ubivis terrarum adversus Evangelium cor-
nua erigere videmus, feliciter superandos meditationes salutares ac preces requi-
rere. Caeterum expendendi tua, et recognoscendi mea, occasionem praebebit olim
altera, si Dominus vitam dederit. Tu interim in beato tuo otio etiam re-
liqua Apocalyptica sub eandem virgulam vocare perges, vel editionem post
vicesimum annum differes, quando de his mysteriis forte aliter sentiës.
Quicquid facies, saltem aculeos praecides et tam mordacibus sarcasmis
curios meos vellicare cavebis, exuesque opinione de amentia et [illegible]
paragdia mea. Aberroris alea ego me non eximo: Sed neque te. Si glori-
am Dei et Christi promovere tibi propositum, scito idipsum mihi fu-
isse et esse quam maximè. Bene vale. Heidelbergae 15. Aug. 1619.

Illustri et Generoso Domino 232
D. Wenceslao Budowez libe-
ro Baroni à Budowa etc:

David Pareus

Gratiam cum Benedictione à Domino!

Illustris et Generose Domine. Ex quo mihi datum fuit audire Tuum
de Ironico meo judicium: etsi antea multoties celebrata mihi esset
eximia virtus Tua, intimius tamen admirari, et colere apud me coepi
singularem pietatem, prudentiam et fortitudinem Tuam, cum prae-
clara divinarum rerum cognitione, studioque et Zelo gloriae Dei con-
junctam. Quarum virtutum inter maximarum documenta amplissima
scripta erudita, torquati illius ad Atheum Mateologi affatibus exposita,